

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae I.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
 IN
 M. TVLLII CICERONIS
EPISTOLARVM
 QVAE FAMILIARES VOCANTVR
 LIBRVM III.

EPISTOLAE I.
 ARGVMENTVM.

Totus hic ad Appium, P. Clodii fratrem, scriptus liber est. primae sex epistolae Ser. Sulpicio, M. Marcello cons. septima L. Paulo, C. Marcello: octava ante septimam collocari debuit, cum scripta sit Octobri mense, ante deuictos Amanienses: quod in extremo significatur: ex quo patet, scriptam esse Sulpicio et Marcello cons. quinque reliquae scriptae sunt consulatum gerentibus Paulo et Marcello. Primam epistolam Phaniae, Appii liberti, dedit: eoque breuitatem excusat, quod a liberti prudentissimo ac diligentissimo posset Appius omnem reipublicae statum optime cognoscere. Suam in Appium benevolentiam declarat: cuique tacite hortatur, ut Clodiam gentem, sibi adhuc, propter contentiones P. Clodii, non amicam, secum in gratiam reducat. Laudat alteram eius libertum Cilicem, ut Phanium tamen pluvius facere videatur. Valerium Iurisconsultum, non sine ioco, commendat.

EXPLANATIO.

Appio] Eius Appii Clodii filio, qui cum P. Seruilio Saurico consul fuerat, anno urbis DCLXXIV. Obiit post pugnam Pharfalicam, ut auctor est Valerius Max. lib. 1. c. 6. Repudiatum ab hac gente Lucii praenomen, ob turpem duorum gentilium vitam, Suetonius in Tib. c. 1. ostendit.

Pulchra] Gentis Claudiae fuere Pulchri, Neronis, Marcelli; patricii Pulchri et Neronis, plebei Marcelli. quod Asconius alique tradiderunt. Nobilitatam hanc gentem duobus de triginta consulatibus, dictaturis quinque, censuris septem, triumphis sex, duabus ovationibus, in Tiberii vita c. 1. Suetonius dixit.

Imp.

Imp.] Ex qua pugna sit hoc nomen adeptus, non apparet: rem tamen ab eo bene gestam, non modo haec inscriptio, quae *imperatorum* nominat, sed ulti-
ma etiam epistola declarat: nam in ea suum studium Cicero in supplicatione ob res prospere gestas Appio decernenda commemorat. Speravit etiam triumphum: quem ei P. Dolabellae ademit accusatio, ut epistolae duae demonstrant, una Ciceronis, decima huius libri, altera Coelii, nona libri octavi.

Quid inuenit ERN. Quod vidi] Et aperta sententia est, et ita legitur in septem antiquis libris. aliis placuit, *quod inuenit*: quod quale sit, eruditi indicabunt.

Reliquas res] Quas ab illo de statu reipublicae audies.

Prouidentius] Prouidentia periculum vitat. *Prouidentius* igitur dixit, pro, maioris cautionis. posuit enim in alienas manus litterae peruenire.

Videntur aliquae meae partes] Ut aliquid ego quoque tibi significem.

Ingenii] Quod amorem conciliat. ut enim corpori valetudo integra, color optimus, apta membrorum compositio, sic animo species quaedam et pulchritudo ingenium est. omnis autem pulchritudo amorem conciliat.

Officii, humanitatis] Latius patet *humanitas*, quam *officium*.

Gratissima] Ex quo intellexi, te bona fide mecum in gratiam rediisse.

Caruimus] Ob inimicitias P. Clodii, Appii fratris, qui anno proximo perierat, a Milone, Ciceronis amicissimo, interfectus.

Quoniam tu ita vis] Tibi placet officiis coli amicitiam nostram: quod si tibi non placeret, facerem inuita Minerua. qui si efficies, ut idem tuis quoque propinquis placeat; (tacite Appium hortatur, ut reliquos Clodios, ob veteres cum P. Clodio inimicitias infensos, sibi reconciliet) eandemque Mineruam, quam abs te non inuitam habeo, ab ipsis accipiam: ego plane hoc non Mineruae magis, quam tibi, referam acceptum, et iure eam non tam Pallada, ut vocatur, quam Appiada, de tuo nomine, nuncupabo. Iocum autem Cicero quaesivit in nominibus similiter desinentibus. In Mediceo libro Graecis litteris maiusculis, ΠΑΛΛΑΔΑ, scriptum est.

Non inuita Minerua] Feliciter, successu prospero. abiit in adagium, *inuita*, vel *non inuita Minerua aliquid facere*, lib. 12. epist. 25. *Causam tuam egi non inuita Minerua*, lib. 1. de Offic. c. 31. *Nihil decet inuita, ut aiunt, Minerua*. Et Horatius de Arte poetica v. 385.

Tu nihil inuita dices faciesue Minerua.

Cilix] Quod seruis nomen fuerat, idem liberti retinebant, licet praenomen etiam et gentilicium nomen eius, a quo liberabantur, assumerent. *Cilix* autem hic vocabatur, quia saepe a patria serui appellabantur, ut *Aegyptia* lib. 16. epist. 13.

Phaniam] Ad te proficiscentem, cuius frui consuetudine, licet Cilicem habeam, valde cuperem. lib. 2. epist. 15.

Iureconsultum] Eundem antea Lentulo, Ciliciae proconsuli, commendanda.